



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAE CUM FIDELES BEATA MARIA VIRGO «AUXILIADORA DE LOS CRISTIANOS» NUNCUPATA,

PATRONA APUD DEUM DIOECESIS DE PUNTA ARENAS IN CHILIA CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. –

Cum fideles Ecclesiae de Punta Arenas in Chilia Beatam Mariam Virginem titulo «Auxiliadora de los Cristianos» invocatam peculiari quidem cultu prosequerentur tamquam suam Matrem, Magistram et Reginam, Venerabilis Frater Thomas González Morales, Episcopus eiusdem dioecesis, communia cleri populi que vota excipiens, electionem Beatae Mariae Virginis sub memorato titulo in Patronam apud Deum Ecclesiae suae rite probavit atque, datis litteris die V mensis Augusti hoc anno, petivit ut electio et approbatio huiusmodi ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, ab hac Apostolica Sede confirmarentur. Nos igitur, istius cupientes preces audire Pastoris, comprobatis iis, quae Congregatio pro Cultu Divino, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem titulo «Auxiliadora de los Cristianos» invocatam Patronam apud Deum dioecesis de Punta Arenas confirmamus, cum omnibus iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque effectus sive nunc sive in posterum habeant. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Novembris, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri nono.* AUGUSTINUS Card.

CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1986 - Libreria Editrice Vaticana
